

1299 Dezember 29.

[1]

Belehnung des Heinrich Sybink mit dem Gute Kempinf.

I. D. 46.

Ego Hermannus de Keppele famulus, castrensis Novi castris Monasteriensis dyocesis, profiteor presentibus ac protestor, quod constituti coram me Engelbertus Engerink et Everhardus filius eius proprio suo motu resignaverunt in manus meas mansum seu bona Kempink, situm vel sita in parrochia Sutlon, quem vel que tytulo emptionis quondam a me comparaverant ac deinceps iure homagii a me renuerant, quod quiete possederunt, quod in *manstat* vulgariter appellatur. Ceterum hunc eundem mansum seu eadem bona contuli et confero, quod *lene* dicitur, Heynrico Sybink colono, uti ipso seu ipsis eodem iure, quo Engelbertus et Everhardus predicti usi fuerant, cum suis omnibus iuribus et attinentiis ac postmodum sui pueri et heredes libere ac pacifice perpetuo perfruantur. Item dictum mansum seu bona Gerhardus filius meus iunior dicto H(einrico) plenarie resignavit nullam

impeticionem in eundem seu eadem de cetero perfecturus. Quem seu que Hey(n)ricus filius meus senior contulit una mecum H. sepedicto ad id omne ius, quod tangitur in premissis. Item pro exuviis dicti mansi seu ditorum bonorum, que *herewede* dicuntur, quandoctunque emergerint, dabuntur mihi aut meis heredibus quibuscunque pro tempore XXX solidi denariorum legalium et nil ultra. Cui facto tam rationabiliter peracto presentes erant, quorum nomina subsequuntur: Nicholaus de Borken sacerdos, Ludolfus Hake seu de Asbeke miles, Gerhardus et . . .) Spenge (?) famuli, item Johannes Sculdere, Bernardus filius scultheti Provestink, Albero Brinkink et quam plures alii fide digni. In huius igitur facti evidens testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Actum et datum die Thome Cantuariensis anno Domini M^o CC^o nonagesimo IX^o.

Orig. Siegel ab.